

(S. R. C. decret. 24 Septembris 1842.) Idem dicendum de sacerdote qui, præter propriam ecclesiam, alteram habet in deservituram. (De Herdt Vol. 2, P. 248.)

Attamen officium et Missæ cantatæ conformari debent ecclesiæ in qua fiunt, absque respectu ad alteram. (S. R. C. decret. 5 Octobris 1697.)

22° In suffragiis fit commemoratio utriusque titularis. Si autem oratio *A cunctis* recitanda sit, nominatur tantum titularis ecclesiæ in qua Missa celebratur.

23° Festum titularis impeditum festo majoris dignitatis, transfertur ad proximiorum diem, etiam impeditam festo semiduplici aut duplici, quod redigitur ad ritum simplicem, (cum IX lectione historica, et commemoratione in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa,) quando ante finem anni non reperitur dies libera ad quam transferatur. (S. R. C. decret. 13 Martii 1804 et 4 Junii 1817.)

24° Festa titularium mobilium, *v. g.*, S. Joachim, &c., cum octava celebrantur in dominica eis assignata in breviario romano, et festa quæ occurrunt in hac dominica vel ejus octava, transferuntur juxta rubricas, cap. *de translatione festorum*.

